



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum I. Præterea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

cap. unico. ne sede vacante in 6. ubi id ipsum similiter dicitur de collatione beneficij; creatio enim Monachi, quasi quoddam beneficij, seu tituli regularis collatio est.

TITULUS XXXII.

DE CONVERSIONE CONIUGATORUM.

CAPITULUM II.

Verum.

PARAPHRASIS.

Si post matrimonium legitime contractum, non consummatum, alter conjugum, altero repugnante, Religionem professus sit, sicuti quosdam sanctos à nuptijs vocatos legimus (videlicet S. Theclam, S. Iohannem, S. Cæciliam & alios apud Sanchez. S. Greg. l. 4. dialogor. c. 14.) alter conjugum in sæculo manens, si monitus continentiam servare nolit, libere ad alias nuptias transire potest; cum enim per carnalem conjunctionem non fiat una caro effecti, separari possunt (sive alter conjugum consentiat, sive non) ita, ut unus ad Deum transeat, alter in sæculo maneat.

SUMMARIUM.

Matrimonium ratum non consummatum solvitur per professionem in Religione approbata.

Notandum. Matrimonium ratum non consummatum solvitur per professionem in Religione approbata. Ita hic & in causa sponsatus 27. & c. sequente caus. 27. q. 2. c. ex publico 7. hoc. tit. c. 1. de voto in 6. & c. xi l. 5. tract. ult. p. 2. c. 1. & p. 3. c. 11. m. 1. v. deri potest Gloss. in c. quapropter 37. eadem q. 2. c.

Cum superiore titulo de Regularibus, & ad Religionem transeuntibus, generatim actum fuerit; at verò speciales difficultates sint, si conjugati converti, seu Religionem ingredi velint: ideo de hoc titulo peculiaris annectitur.

CAPITULUM I.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Conjux post matrimonium consummatum Religionem ingredi, & profiteri non potest, nisi alter conjux licentiam dedit, & tunc vel religionem etiam ingrediatur, vel si extra periculum incontinentiæ secundum Episcopi judicium vertetur, perpetuam continentiam in sæculo voveat. Ita hic & c. 4. & c. significavit 18. hoc tit. Explicavi L. 5. tract. ult. p. 3. c. 7. n. 1.

Corollarium. Si alter conjugum Monasterium ingressus sit, aut professionem ediderit, ab Episcopo revocari potest, ac debet, ut hic dicitur; quòd si alter conjux, in sæculo manens, licentiam dederat, licet tunc actionem propriè non habeat, potest tamen judicis officium allegato incontinentiæ periculo, & Can. constitutione implorare, ut conjux ingressus, aut professus revocetur, & sic etiam ad instantiam partis revocatio fieri potest. Qua de re plenius disputat Sanchez L. 7. de Mat.

D. 33. q. 2.

